

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Salviani Massiliensis Opera

Salvianus <Massiliensis>

Noribergae, 1623

Vita Cunradi Ritter shusii Jc. [...]

[urn:nbn:de:bsz:31-131292](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-131292)



VITA

CUNRADI
RITTERSHUSII JC.

Consilarii Reip. Norimbergensis, &
Academiae ejusdem quondam
Antecessoris, &c.

Descripta à

GEORGIO F.



Hilosophos, qui ad vir-
tutis & gloriae studium Adolescen-
tes ducere hortarique unice sata-
gunt, hoc suavorum monitum pro-
ferre scimus: Quicquid tractent vel
agant Adolescentes, cogitent id se
in conspectu reverendi alicujus se-

nis facere, qui per angustum virtutis tramitem, ad
augustum honoris fastigium pervenit, quiq; ex præ-
scripto rectæ, Deoq; subiectæ rationis omnes actio-
nes instituat, illum imitentur, & ad ipsius vivendi
normam suam quoque vitam componant. Quod
si quidam Majorum & è familia ipsorum doctrinæ
vel vitæ integritatis, rerumque præclarè gestarum

** 5

lau-

laude claruerint, tanto magis ipsis incitamento esse
debere domesticum exemplum: ne adulterina vide-
antur soboles, atque in ipsos Aristippi apophthegma
congruat, qui ejecto filio suo *ἀνδραγαθῶ* & degenerē,
eāque de causa ab amicis reprehensus: An mescitis,
respondit, strigmenta & pediculos æque à nobis pro-
venire: Quos tamen abhorremus pedibusq; cōcul-
camus: Ita ergò agendum esse cum iis, qui sanguinem
tantum à Majoribus suis traxerunt, animi verò vel
ingenii dotibus illis omninò sunt dissimiles. Sin hoc
natalium splendore Adolescentes destituantur, iidem
animorum Curatores atque Medici eos monent, ut
caput altius exerant, aliorumq; heroum vitas legant,
contemplantur, imitentur. Me, cui Dei munere,
pro quo *μεγάλαν γέρας αὐτῶν*, honestus contigit ortus, fa-
tis cum Avorum, tum parentis in primis exemplum
ad virtutis & doctrinarum studia urgere potest, ita ut
opus non habeam foris bene vivendi studendiq; rati-
onem & paradigmata quærere: ad illorum virtu-
tem si pervenire potis essem, haud postreum inter
viros bonos locum & nomen me consecutum om-
ninò confido. Itaque ut quotidie illos non tantum
somniarem, sed & eorum vitam, acta, gesta que con-
tinuò inspicerem atque examinarem, in usum & me-
moriā meam nonnulla, que in vita Parentis mei de-
sideratissimi *ἀξιόμνημόνευτα* mihi visa sunt, consignavi:
quæ cum Typographus secum communicari, augen-
dæ secundæ Salviani Massiliensis editionis ergo, à me
petisset, neque ipsius petitioni refragari, neq; pie-
tatis officio deesse volui. Amicum verò Lectorem
maximo quæso opere, ut crassum filium boni consu-
lens

lens, eorum potius veritati, quæ ex scriniis privatifq;
annotationibus fide sincerâ, absque fuce & hyperbo-
licis verborum lenociniis deprompsi, intendat, no-
bisq; faveat.

Natus est CUNRADUS RITTERSHUSIUS Jctus
ANNO 1560. Qui multis Principibus ac viris doctis &
natalis & mortifer fuit. Lucem eodem anno videre
Christianus I. Saxoniz Elector. Carolus Comes Pa-
latinus Rheni. Ernestus Fridericus Marchio Baden-
sis: Janus Gruterus Antverpiensis, Philologorum
nostri seculi princeps, amicus τῷ μουνηστηῖ nostro usq;
ad aram optimus & intimus: Casparus Bauchinus,
celeberrimus Basileensium Medicus & Anatomicus.
Vitam cum morte commutavere Franciscus II. Gal-
liz Rex: Gustavus Rex Sueciz, Maria Regina Scotiz.
Philippus Pomeraniz Dux, Philippus Melanchthon,
Georgius Sabinus: Petrus Losichius II. Poeta & Me-
dici CL. Alexander Monsignanus JC. & plurimi alii.
Mensis natalis & fatalis ipsi fuit September, ut ipse te-
statur Jubilæo suo his verbis: Hujus mensis d. 25. pri-
mum ante hęc L. annos hanc lucem aspexi, in urbe
honestâ Brunswigâ, honestis, & quod caput est,
Christianis parentibus natus. Hoc mense lavacro a-
que in Spiritu sancto renatus, & Christo inscitius, &
Ecclesiz Dei civis factus sum. Hoc mense anno æ-
tatis 33. Anno Christi 1593. primi conjugii mei sua-
vissimi benedictionem divinitus percepi, & primo-
genitum filium meum Henricum suscepi. Hoc mense
ex periculo vitæ præsentaneo, quod à submersione
in aquis impendebat, plus vice simplici ereptus & in-
vivo conservatus sum: semel anno ætatis 14. ineunte

(An-

(Anno Christi 1574.) ipso die Michaelis, quo die in
profluentem Ocræ, Brunswigam perlabentis, propè
molam arcis decideram, & multum jam aquæ haufe-
ram, suffocationi proximus, sed ope hominis forte
supervenientis extractus. Iterum autem Anno 1587.
cum in Moeno navigarem, & Francofurtū (quo ten-
debam) ferè in conspectu haberem. Ibi namq; unus
ex comitibus itineris, qui mihi ignotus, Werthemii
nobiscū conscenderat navem, in ipsa correptus à ma-
lo spirita, & ut vetere verbo utar, energumenos fa-
ctus (erat enim, ut postea nobis relatum fuit, lunati-
cus) ita horrendum in modū & vociferabatur & toto
sele corpore jactabat, ut navem in utrumque latus
vacillantem conquassaret, vixque à validissimis duo-
bus vel tribus viris retineri posset, nosque omnes, qui
eadem in navi eramus, digitis à morte remoti qua-
tuor (ut ille ait) in discrimen vitæ præsentaneum ad-
duceret: ne quid de reliquo terrore dicam, quem om-
nibus nobis energumenus ille vociferationibus
suis & corporis contortis diris atque absurdis agita-
tionibus incutiebat. Hoc eodem mensè An 1580.
cum Helmstedii in Academia Julia studiis operarer,
ex huc illa epidemia, quæ tunc temporis fermè to-
tam Europam pervagata multos sustulit, & me quo-
que gravissimè prostravit atque afflixit, quasi à portis
mortis & inferis sum retractus, valetudiniq; per
Dei gratiam utcunque restitutus. Hoc denique ipso
mensè studiorum Jurisprudentiæ testimonium pu-
blicum consecutus, Basileæ IX. Septemb. Anno 1592.
Doctor renunciatus sum: indeque Altorfium rediis,
peregrinatione meâ feliciter confectâ, & domicilium collo-

collocare
Novissim
rum nume
magne s
quædam l
citer cont
Nec illud
cium, que
publicita
nonnull
jan Cl. X
Medicus
per XIV. a
solam me
enam univ
tunc. Refe
mentum
latici, qua
ipsum verò
torrens
sua mirabi
Imp. felic
Alton. LII
d. S. Math
perabore C
vel medic
d' une del
lari silicat
Paris, nel
vintre pre
Carolo V. i

collocare cœpi in Academia ista : cujus Curatores
Nobilissimi & Amplissimi me paulò ante in Professo-
rum numerum , aliis prælatum competitoribus , be-
nigne cooptarant. Omitto nunc brevitatè causâ alia
quædam longinqua itinera , quæ hoc ipso mense feli-
citer confeci , divinâ ope protectus & conservatus.
Nec illud verò reticendum est singulare Dei benefi-
cium , quod An. 1606. cum hoc ipso mense quædam
pestilentiæ semina in hac Academia apparuissent ,
nonnullosq; infectos nobis eripuissent (inter quos et-
iam CL. V. D. Nicol. Taurellus Montbelgardensis ,
Medicus & Philosophus acutissimus, Acad. Noricæ
per XXV. annos Professor) maturè illa extinxit : nec
solum me cura familia incolumem conservavit , sed
etiam universum corpus Academicum , cujus ego
tunc Rectoris vices gerebam , hoc omni merù clem-
entissimè liberavit , & dissipationem cœtus scho-
lastici , quæ metuenda nobis videbatur , avertit. Hæc
ipsum verbis. Qui divinorum beneficiorum tanquam
torrentis in unū mensem confluens ut mirabilis est ,
ira mirabilior dies Matthiæ Apostoli , qui Carolo V.
Imp. felicissimus fuit atque prosperrimus. Ita enim
Alfof. Ulloa lib. 2. de vita ipsius , pag. 67. b. Il giorno
di S. Matthia a 24. di Febraio, corse prospero all' Im-
peradore Carolo V. Percioche in questo di nacque,
nel medesimo fu coronato , in questo di vinse il fatto
d' arme della Bicocca : & pag. 69. b. Havendo da più
lati assaltato il Re Francesco di Francia , chi assediava
Pavia , nel Parco lo costrinse a uscir del suo forte , lo
vinse e prese nel medesimo giorno. A. 25. Et p. 84. b. Il
Carolo V. fu coronato il Giovedia 24. Feb. dell' a. 1533.
gior-

giorno felicissimo per lui nel quale haveva havuto di-
verse vittorie, ein quello stesso era nato. Sed de die-
bus & locis fatalibus Lectorem remitto ad Mich. Pic-
cart observ. histor. Redeamus in orbitam: De Paren-
tibus & Majoribus Parentis nostri *ſc̄i a. i. b. i. s.* ex ipsius
avtographo ad Compatrem quendam suum hæc ad-
scribo: Majores mei ultra Proavum patrum Min-
dæ domicilium habuerunt, ibique honesto inter suos
cives loco fuere. In ea urbe (ut de cæteris taceam.)
Proavus meus etiam honoribus functus est amplissi-
mis. Ibidem avus meus p. m. Henricus Rittershusius
natus est Anno 1503. Is amore renascentis purioris
religionis Wittebergam profectus, Luthero & Phi-
lippo diu operam dedit, præter Juris Civilis studium.
Quæ res ipsum Optimo Principi Ernesto, Brunswi-
cens. & Lüneburg. Duci, ejusq; Filiis Francisco Otho-
ni, &c. adeo commendavit, ut nomine quidem à se-
cretis, revera eum inter primos consiliarios eorum
haberent. Cum is Cellæ in aula patrem meum Bal-
dasarem unâ cum aliis X I V. liberis profectasset, in-
bonis literis & doctrina pietatis eum diligenter insti-
tuit curavit, & adolescentem Wittebergam misit
D. Philippo commendatum: Ubi cum aliquot annos
(quinque aut sex, puto) in studiis exegisset, tandem
ob patris sui morbum (qui ipsum rebus humanis exem-
it, conflictatum cum quartana per 15. hebdoma-
das dierum) revocatus est domum, & a Principe pro-
pter merita patris donatus beneficio Ecclesiastico in
æde Brunswicensi ad S. Blasium: cujus jus Patrona-
tus ad illum Principem pertinebat. Ea igitur occa-
sione patens meus Brunswigam venit, ubi sedem ac
domi-

domicilium
gredi Bergi
M. Conrad
Cum electu
tionum Kem
centes dilige
Locos com
etiam corat
maturè con
parum con
num adje
exercitatio
securus Lib
Ex quibus Se
tredecim
Patris mei pa
ruent, par
tribus hono
acis in Du
Gregorius
fco presb
nistravit. M
tes fuerunt B
cogatione
Prima piet
dicitur, p
tum lector e
vilingua H
Theologus &
jam doctum e
dicitur, ead

domicilium rerum suarum fixit, ductâ uxore Margareta Bergiâ, M. Matthiæ Bergii nostri sorore, quæ M. Conradii Bergii Ecclesiastæ Brunswic. filia erat. Cum esset juvenis, Joachimum Mörlinum & Martinum Kemnitium in schola publica Brunswigæ docentes diligenter audivit tam Epistolas Pauli, quam Locos communes Philippi. Eorumque hortatu sæpe etiam coram Brunswicensib. conciones habuit. Sed maturè consilium mutavit, quod sibi hoc vitæ genus parum conveniens esse sentiret. Itaque ad jus animum adjecit: in quo & privato studio & judicialibus exercitationibus egregiam juris cognitionem est assecutus. Liberos suscepit ex duobus matrimonis XI. Ex quibus sex etiamnum superstites sumus, duo fratres & quatuor sorores. Mortuus est 9. Aug. An. 1602. Patru mei partim in Hispania & Belgio stipendia meruerunt, partim per celebres Saxonix & Pomeraniæ urbes honesti sunt cives: unus eorum Præfectus est arcis in Ducatu Lüneburgenfi. Propatruus meus Gregorius Hildesix in summo templo organo Musico præfuit, aliaque postea officia honestiora administravit. Majores mei à linea materna multi Senatores fuerunt Brunswigæ, ut etiam nunc quidam ex illa cognatione sunt: cæteri cives honesti, &c.

Prima pietatis, literarum & bonarum artium fundamēta ὁ μακαριος πατηρ μου jecit in schola patria, cujus tum Rector erat avunculus ipsius Matthias Bergius, vir linguæ Hebrææ, Græcæ & Latine peritissimus, Theologus & Poëta non vulgaris, quod ipsius scripta jam dudum edita loquuntur, famamque augēbunt. *δεῖναις, οὐδ' ἔτι παλάρη,* edenda. Sub cujus institu-

uione tam præclaros fecit profectus, ut pulcherrimam
in parentibus & propinquis de se spem non circum-
foraneæ, sed solidæ & profundæ eruditionis atque
scientiæ excitavit: Qui proinde suis etiam partibus
deesse noluerunt, ipsiusque uberioris ingenii cultu-
ræ ergo in celeberrimum omnium artium & facult-
tatum emporium Julium, quod est Helmstadii Anno
1580. ablegarunt: ubi præterquam quod Sacra-
tissimæ Juris scientiæ operam dare cœpit, scribendis
rebus variis oratione cum soluta, tum ligata, Græca
& Latina, industriam suam & in Philologicis dexteri-
tatē singularem Professoribus, & inter illos D. Heskusio
ita probavit, ut de promovendo ipso Halæ Saxonum
An. 84. ad scholasticam functionē consilia iniverint.
Quia verò animus ad sublimiora tendebat, re-
dullis- que ipsius Jurisprudētia jam infederat, repudiata Pro-
vinciâ istâ, telam Juris sub CL. Jctis Joan. Borcholt,
& Joan. Jagemanno feliciter cœptam, sibi pertex-
endam censuit. Erat tum præter alias Germaniæ Aca-
demias celeberrima Altorfina nomine summorum
Jctorum, quos audiendi cupiditate incensus, à Pa-
rentibus petiit, ut integrum sibi esset Altorfium con-
cedere. Idque eò facilius impetravit, quod a vinculis
& Præceptor quondam ipsius Mathias Bergius ibi
Philosophiæ moralis explicationem susceperat. Reli-
ctâ ergo Juliâ medio anno 84. sedem studiorū suo-
rum in Academia Norica fixit. Ubi raptus admira-
tione Giphanii, quem Jurisprudentiæ Regiæ, Philo-
sophiâ, Philologiâ, & Philistorian, tanquâ pedisequas
more rarissimo jungere, & in docendo brevè atq; per-
spicuum videbat, tot⁹ ab ipsi⁹ ore pepedit: lectiões ipsius

non

non Juridic
similia illi
tuo aucto
dicitur ut
ti obrem
tuo ca r
tuo p
tuo n
mentaria
Et no
Scherio
metaphr
cunc nobis
tam p
norum a
tam sibi co
fidei que equ
phium v
torio lago
ita corpus
nulli que se
Et quo vero
nvoluntaria
doo pilla vol
Libr. Coc. I
de p
reimicatio
tempore ipac
cules, neque
cere. Quo vi

non Juridicas tantum, sed & Ethicas & Politicas, summâ assiduitate frequentavit, statuens cū Theone, πῶς ἀποράσιν τις σὺν αὐτῷ ἀσκηρίσσει; τὰ μὲν παρόντων τοῖς ἄλλοις εἰργασμένα ἐπιμύσει λαμβάνων. Et Isocrati obtemperans, qui κατ'ἐναντίον εἶπε, inquit, πῶς ἐν τῷ βίῳ σχολῆς εἰς πῶς λόγον Φιλικόαν. ἔτω γὰρ τὰ τοῖς ἄλλοις χαλεπῶς βεβημένα συμβήσεται σοὶ ῥαδίως μαθήσῃ. Itaque integrâ commentaria Ethica & Politica ex ore Giphanii excepit. Et ne ἀεθράσιν θεωρητικῆς φιλοσοφίας negligeret, Philippo Scherbio, Med. & Philol. peripatetico acurissimo in metaphysicis auscultavit, testante M. S. quod etiam nunc nobis ad manus est. Quâ suâ diligentiâ cū publicâ tum privatâ, & Professorū plerorumq; amorem & Senatorum atque Patriciorum Norimbergensium gratiam sibi conciliavit eam, ut liberos suos inspectioni fideiq; ejus concredere nihil addubitaverint. Giphanium verò tanto studio sectatus est, ut cum Altorfio Ingolstadium migraret, ipsum tanquam umbra corpus comitaretur, & viri exquisitissimi judicii, nulliq; secundi doctrinam, quoad liceret, hauriret. Ex quo verò Auditor ipse fuit quinque magna Juris volumina: Commentaria in quatuor Libb. Instit. duo justa volumina in jus civile: Explicationes IX. Libb. Cod. Tractatum de judiciis: De Regulis Juris: de pignoribus: de jure dotium: de remediis juris: de renunciationibus, &c. collegit: Quibus intra illud temporis spacium conscribendis neque lynceos oculos, neque tachygraphi manum sufficere quis diceret. Quo vicissim affectu atque favore Giphanium

Da.

Dn. Parentem nostrum profecutus fuerit, si non suffi-
at, quod praesidium disputationis de actionibus em-
pti & venditi, habitae Ingolstadii, 23. Martii, Anno
1591. ipsi non denegavit, argumento sit, quod ipsum
σωβειρο suorum laborum cooptavit cum in aliis, tum
in Commentario de Justiniano: in quo Giphanium
se virum praestitisse omnes, quibus acetum est in pe-
ctore, uno ore confitentur. Idem testantur literae fre-
quenter ad ipsam absentem datae: & cum primis pre-
fatio partitionibus Feudalibus praefixa. Nactus est
insuper Dn. parens Ingolstadii Doctorem Andream
Fachineum JCrum celeberrimum. Ibidem aliquan-
do disputationis aleam cum Gregorio de Valentia ce-
lebris Jesuita subire non dubitavit: Usus est familiari-
ter cum Professoribus reliquis, tum Philippo Men-
zelio, & Alberto Ungaro, SS. Theol. Doctore, qui
ipsum propter modestiam & eruditionis amoenitatem
non leviter amarunt, hic vero & hoc elogio insignivit:
Revixisse D. Nazianzenum, quia vivat Conradus Rit-
tershusius, qui in scribendis Graecis carminibus potis-
simum fit genium & ingenium Nazianzeni ostendere. Cogi-
tans vero *αὐτὸ παρὼν ἐν πᾶσι γλυκεῖαν ἔργη*, atque dedecori
sibi ducens semper inter libros sepultum esse, hominem
tantum de schola aliquando audire: aliorum homi-
num vitam moresque non cognovisse: se JCrum at-
que Politicum in societate civili cum variis vivere non
didicisse, Anno 87. in Franconiam & Hassiam excur-
rit: Francofurti cum Fr. Modio; Heidelbergae cum
Joanne Posthio & Paulo Melisso; Marburgi cum Re-
gnero Sixtino, aliisque; Juris luminibus clarissimis no-
ticiam contraxit: Anno sequenti Sueviam peragra-
vit.

vic Anno 89
Bohemie m
frim & Pa
Comite, Dn
lati in vira
rationes, tu
dum vivens
elega quid
Scripta apu
nerosi Con
verbi hinc
Non
Ning
Qua
Nec me de
Apt
Eundem
Arcontus
ab Epitolo
tamen rec
mate:
Velle
In
Nann
D
Camp
Pra
O
Qu
Sed
Ent

vit. Anno 89. cum Salomone Panthero, aliàs Rifnio,
Bohemiæ metropolin Pragam iustravit: An. 91. Au-
striam & Pannoniam adiit, In quo itinere ab Illustri
Comite, Dn. JULIO à SALMIS &c. ad munus Consi-
liarii invitatus fuit: quod tamen cum propter alias
rationes, tum propter computationes crebras, & mo-
dum vivendi à se quam alienissimum, renuit: ut ipse
elegia quâdam ad Joannem Trudisium Salmensem
scriptâ apud Galgocium Pannoniæ, in arce dicti Ge-
nerosi Comitis, prid. Calend. Mai. Anno 1591, his
verbis fateitur:

*Non facit ad mores antica vita meos
Non ego magnatum didici captare favorem,
Qui fragilis vitro non minus esse solet.
Nec me delectant strepitus, pompæq; tumentes:
Apra sed ingenio est vita quieta meo.*

Eundemque apud se retinere studebat Hieronymus
Arconatus Leorinus Silesius, S. C. M. consilio bellico
ab Epistolis Viennæ mense Majo Anno 1591. quem
tamen renitentem hoc tandem dimisit Epigram-
mate:

*Vellem ego nobiscum posses Cunrade morari
Innumeris laute conditione dies.
Namq; tuo ingenio multum delector ameno,
Delector nitidis carminibusq; tuis.
Compositi mores & verba carentia fuco,
Prudens simplicitas pectoris usq; placent.
O quam vita mihi tecum jucunda, prophanò
Quam procul à vulgo dulciter acta foret.
Sed quia te revocant, patriasq; revivere sedes
Fata volunt, fatis morigerum esse deceat.*

*** 4

Ar

*Arbitrio superum (quis nescit?) cuncta reguntur:
Hunc natale solum, hunc terra aliena beat.
Vade igitur, cursum viaeque, viaeque secundum
Æthereus Rector per loca cuncta dabit.
Infixa hærebit nobis tua semper imago,
Pro te fundemus vota, piaque preces.
Tu facias ut idem cupimus: sic tempore nullo
Rumpetur nostra fœdus amicitia.*

Eodem anno 91. Mense Julio per agrum Würtenbergicum & Brisgoviam Basileam adiit, petendi supremos in jure honores ergo, quos Tubingenses & Friburgenses ultrò ipsi transeunti offerebant, salvâ quo ad hos quidem religionis diversitate, Examen subiit Piraste D. Samuele Grynæo, & Johanne Gut, J.C. tum temporis Rectore: Disputationem instituit, de bonis maternis aliisque adventitiis liberorum: Orationem: An hæreticis data fides servanda sit. Competitores habuit tres: qui cum invidiæ vitandæ causa sorti ordinem committere, quàm Decani judicio maluissent: Sors verò D. Cunradum, parentem p. m. ultimum esse voluisset: Nobilis Competitor, cui primus locus erat attributus, ultrò ipsi cessit: quod cum ipse modestè recusare t, accedente reliquorum competitorum voluntate, & promotoris auctoritate, primo loco constitutus, & unanimi Facultatis Juridicæ consensu, nemine dissentiente solenni ritu Doctor renunciatus est V. Idus Septembris. Decano & promotore Samuele Grynæo, Joanne Gut, Rectore. Tiarâ doctorali ornatior Altorfium reversus postquam publicè ibi docere cœperat, maturo consilio (neque enim more multorum de vacca prius quàm, de ita-

de stabulo, ut proverbium habet Germanicum, cogitavit) animum ad matrimonium applicuit, & honesto amore complexi cœpit HELENAM STAUDNERIAM: natam VII. April. Anno Chr. 1569. patre GEORGIO STAUDNERO, & matre BARBARA HESSA. Pater cum juvenis Halæ Saxonum juventutē scholasticā per aliquot annos instituisset Wittebergæ Theologiæ operam aliquandiu dedit sub Philippo Melancthone. Postea in Italiam profectus, præcipuas ejus regiones & urbes perlustravit. Inde reversus Ecclesię Noribergensis, quæ est ad S. Sebaldum, ministerium suscepit; quo aliquot annos cum laude perfunctus, Solisbachium, quod est Palatinatus superioris, oppidū, vocatus est, ut ibi in patria sua Pastore ageret, simulq; vicinarum Ecclesiarum curam & inspectionem sustineret. Ibi ad senectatē usq; sine ullis morbis ac molestiis tranquillè vixit, extinctus morbo epidemio autumnali, An. 1580. olimactere suo 63. quem magnis ferè ingeniis fatalem esse experienciā constat. Ita autem ubicunq; vixit sese gessit, ut omnibus gratus & carus esset præsens & vivus, discedens verò & moriens magnum sui desiderium relinqueret. HELENA mater, post Patris obitum, à quo præ cæteris liberis impensè diligebatur, partim Solisbachii apud matrem, partim Noribergæ apud fratrem natu maximum GEORGII, partim in aula Palatina Principis OTTONIS HENRICI, quæ est apud Solisbachium vixit, pedisequa & in gynæceo curatrix arcæ linteariæ per quadrienium. Cum ea nuptias celebravit Dn. Patris 14. Novemb. An. 1592. & concordanti in matrimonio vixit annos 14. menses 6. dies 16. Obiit enim ultimo

timo Junii 1607. ex febr. Mater extitit novem liberorum: Henrici, Balthafaris, Georgii, Nicolai, Ludovici, Annæ-Mariæ, Christophori-Conradi, Helenæ Christianæ: & Andree: Ex quibus tertius, quartus, & quintus filii, & ambæ filiæ post utriusque parentis obitum in vivis mansere, & sunt, Dei beneficio, etiam nunc sospites. In viduitate ita constitutus post longam deliberationem, utrum præstaret manere viduum, an ad secundas nuptias transire, tandem has prætulit, & sibi elegit alteram vitæ sociam, Virginem CATHARINAM HOLZSCHUCHIAM, Viri Ampliss. & Consultiss. D. PANCRATII HOLZSCHUCHII, Jcti, Præfecti Præposituræ Bambergens. & Advocati Nobilitatis Franconicæ filiam, cujus sororem alteram natu majorem, Clarissimus & Jurisconsultissimus Vir, Dn. Doct. Andr. Dinnerus in matrimonio habet. Cum ea ergo matrimoniali foedere solemniter junctus fuit d. 19. Jun. An. 1609. atque ex ea suscepit JUSTUM THEODORUM, & MAGDALENAM: Qui liberi secundi matrimonii in fata mox concesserunt.

In quotidiano victu fuit parcus & frugalis: erga pauperes benignus: erga peregrinos cujuscunq; conditionis hospitalis & φιλόζυγος. Frontem libenter exponere apud amicos: quorū colloquio ut liberius uti posset, non raro convivia, non sumtuosa quidem illa, quibus tamen nihil necessarii deerat, honorato præsertim aliquo hospite præsentē, instituit: Etque frequentiora, quo minus ipsi ex voto aliorum syssitia accedere licebat. Ex voto, inquam, quod Deo liberatori suo fecit, cum d. 18. Nov. An. 1602. noctis vigilia

liâ primâ à convivio quodam valedictorio, habitò
in ædibus Philippi Scherbii, Professoris & Doctoris
Medici, dõrum tendens, sicarii, qui in ermem strieto
pugione in viâ publica à tergo inavit, manus effu-
gisset. Cui voto sincerè steterit ad extremũ usq; diem:
exceptis casibus, si à Dn. Scholarchis, vel Senatu No-
rico ad convivium fortè vocaretur, vel extra urbana
aliquò invitaretur. Quâ morum severitate licet mul-
torum reprehensionem incurreret, satius tamen du-
xit, nil Deo vovere, quàm voto contravenire, quid-
quid dicant vel sentiant alii, quibus omnib. placere ne
Jupiter quidem ipse potest: deq; contemnendis vulgi
sermõibus aliquando hos composuit versiculos:

*Ne curato quod hic vel ille garrat,
Urbs est libera, liberæq; lingua,
Nemo quas queat abdere in capistrum,
Fœnore ora, vel observare farre.
Nos rectè faciamus atq; juste:
Rumoresq; hominum calumniantium,
Omnes unius astimemus assis:
Quis tandem sua vanitas refellet,
Atque ipsos faciet sui pudere,
Si qua est putta super pudoris usquam e*

Professione Institutionum per aliquot annos præ-
fuit, usque dum post discessum ex hac Academia Pe-
tri Welenbecii, Scipioni Gentili, qui prius Pandectas
explicabat, successio in locum sublimiorem daretur,
Parenti verò Pandectarum professio demandaretur:
Qua durate præter alia explicuit atq; prælegit regulas
Juris, Materiam ultimarũ voluntatũ: de Judiciis: de
cõtractib: de donatione mortis causa: LL. XII. TAB.

***14

Syno-

opfin Juris publici & privati, quàm posteriorem
en ad titulũ saltem de feriis produxit, ubi Deo pla
eternas ipsi ferias indicare. Quanto verò studio
o fervore profectus Auditorum suorũ quæ fieri
eo colligere est, cum morbi pertinacia virib. Colle
gu adeundi ipsam exuisset, lectoq; affixisset. Audito
res, ne illis morbus damno esset, ut se privatim conve
nire non gravarentur, rogavit, in quo labore perstitit,
usq; dum succidanea in absolvenda lectione horaria
opus haberet vocẽ. Præterea in gratiam eorundẽ Au
ditorum suorum à Professione ordinaria nonnihil dig
gressus, ipsis prælegit doctrinam feudalem: Nec non
differentias juris Civilis & Canonici: Non solum pub
licẽ disputantes præsidio suo juvit, sed privatim vel
Institutionum vel Pandectarum Collegia habuit. In
summa quidquid studiosi ab ipso petebant, ad nutum
omnia præstitit: Cui rei exemplo sunt Methodicæ
Novellarũ expositiones, itidem in gratiam quorun
dam Juris Prolytarum privatim traditæ: non cessan
ribus interim vel prælectionib. publicis, vel causis in
facultate Juridica, quæ non raræ erant, decidendis, vel
consulentium responsis, vel litigantium processibus.
Præter studium Juris, quæ successivis horis egerit vel
in Theologicis, vel Philologicis sequens librorum ab
ipso editorum monstrat & exhibet Catalogus:

¹ Edidit sententias Julii Pauli cum scholiis Anniani
recognitas & emendatas. Noribergæ apud Paulum
Kauffmannum, An. 1590. ² Oppiani libros IV. de
Venatione: Et V. de piscatione, cum Latina interpre
tatione, variis lectionibus, & collatione aliquot Mss &
commentariorum Lugduni Batavorum, ap. Francisc.
Rapheleng. A. 1595. ³ Güntheri Ligurinum, sive de
rebus

rebus gestis Friderici Barbarossæ, cum commentar.
 Tubingæ, apud Georgium Gruppenbachium An-
 no 1596. ⁴ Phædri Augusti liberti Fabularum lib. V.
 cum commentar. Lugduni Batavor. Anno 1596.
⁵ Maximi Margunii hymnos Anacreonticos de Græ-
 cis Latinos eodem genere carminis, Augustæ apud
 Sebast. Mylium. An. 1600. ⁶ Partitiones Juris Feu-
 dalis in duobus libris. Hannoviæ apud Gulielm. An-
 tonium. An. 1603. ⁷ Isidori Epist. ex MS. Ducis Ba-
 varix (cujus copia aliter impetrari nō poterat, quam
 sub cautione mille florenorū, quam vir nobilissimus
 pariter ac literatiss. Marcus Velferus. Reip. Augustanę
 quondam Duumvir, in scio Dn. parente nostro præ-
 stiterat) emendatiores, & integro libro prius nō edito
 audiores, quem de Græco in Latinū sermonē vertit,
 & notis uberioribus omnes libros, sicut & argumen-
 tis singulas Epistolas illustravit. Heidelbergæ apud
 Comelinianos hæredes. Anno 1600. ⁸ Salviani Mas-
 filiensis opera, cum Cōmentariis Altorfii apud Con-
 rad. Apricola n, Anno 1611. ⁹ Malchi seu Porphyrii
 libellu 1 De vita Pythagoræ, ex MSC. primū prola-
 tum, commentariis illustratum. Altorfii apud eund.
¹⁰ Sex prophetas ex numero XII. minorum carmine
 hexametro latino conjunctos, cum totidem Prophe-
 tis D. Jac. Aug. Thuani, Ambergæ apud Michaëlem
 Försterum An. 1604. ¹¹ Argumenta Græca XII. Pro-
 phetarum minorū ex Græcis Hesichii & aliorum ve-
 terum Latinè reddita, Ambergæ apud Mich. Först.
 An. 1604. ¹² Orationes duas de Judiciis, Francof. ap.
 Nicol. Steigium. 1602. ¹³ Commentar. in Epist. Tra-
 jani & Plinii. Amb. ap. Joh. Schönfeld. 1607. ¹⁴ Spe-
 culum principis civiliter boni. Lipsiæ apud Jac. Appe-
 lium

lium. An. 1611. ¹⁵ Orationem de fide cuius homini ex
jure gentium servanda. ¹⁶ Orationem de Zaleuco &
Charonda Altorf. in 4. An. 1591. ¹⁷ Amores Cl. poë-
tarum elogiis celebratos. Altorf. An. 1593. ¹⁸ Oratio-
nes duas Helmeftadii Joan. Sleidani. An. 1598. ¹⁹ Pho-
rii patriarchæ C. P. de cōfolatione ad Euseb. libell. cum
interpr. & emendat. 1601. ²⁰ Boëthium de consolat.
philos. Antverp. 1602. ²¹ Apotheosin Jani Douzæ
patris, Noriberg. A. 1605. ²² Fulgosi consilia ²³ Con-
silia Altorfina. ²⁴ Disp. Instit. An. 1580. Norib. apud
Kauffm. Post mortē ipsius editi hæcenus sunt hi libri
sequentes: Jus Justinianicum, sive Novellarū Justin.
methodica expositio, Argent. 1615. Dodecadeltos,
ibid. An. 1616. Comm. ad L. contractus de Reg. Jur.
1616. Differentiæ jur. civil. & Canon. libr. 7. eod. an.
Comment. in IV. Libb. Inst. An. 1618. Quorum li-
brorū, præsertim verò cōmentariorū de Jure bonam
partē & Aureliæ in Gallis, & Senis Etruriæ in Biblio-
thecis inclytæ Nationis nostræ reperi. Quibus Her-
culeis laborib. si quis jungat Epistolas singulis septi-
manis plus vice simpla in varias Europæ oras Galliã,
Angliam, Italiã, imò & Græciam ipsam ad Scalge-
ros, Douzas, Thuanos, Casaubonos, Lipsios, Hein-
sios, Bongarsios, Maximum Margunium Episcopum
Cytherorum, & quis omnes enumeret, exarandas,
nemo tam invidus erit, quin hanc *Philippium* laudet,
& admiretur. Admirabilis etiam in ipso fuit memo-
ria, quã tam variorū auctorum loca in numerato ha-
bere potuit, absq; adjumento Locorum, quos vocant
cōmunium, tam in jure, quã in Lectione patrū, hi-
storiorum, poëtarum, & philosophorum. Memoria
tenuit Hesiodi libb. *1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12.* In lectione Homeri ita
ver-

veritas fu-
recessore
linguæ Græ-
cæ Diano-
Homericæ
qui An. 1
idem G
eroticas
cognitio
solum in
acitè rev
indeq; ill
ad hunc
Eit motus
malorum
Non

Quapro-
reclians,
ad quem
sese avoc
moverint
tibus nam
ipso cauli
sente lum
Academia
Tacam i
nes hinc i
genitū &
cyponiū
& temp.
latret, G
habuit. N

versatus fuit, ut in colloquio cum primario jam Antecessore Altorfino, tū temporis adhuc adolescente, linguæ Græcæ & studiosissimo & peritissimo D. Andrea Dinæro, &c. solis aliquando usus fuerit versibus Homericis. Cum Archiepiscopo Constantinopolit. qui An. 1607. Altorfina Academiâ salutaverat itidem Græcè conversatus est. Præterq; alias linguas exoticas impensè delectatus fuit linguâ Gallicâ, cujus cognitionem consecutus est eam, et quæ legeret non solum intelligeret, sed & ad fontes linguæ latinæ exactè revocare sciret. φιλοκεδδης omnino non fuit, subindeq; illud Theocriti ore habuit: αὐτῶν ἐγὼ πρῆντε καὶ αὐτῶν φίλος ποδῶν ἡμεῖοντε καὶ ἴστων παθεῖν ἐλόμεν. Est mihi gloria pluris amicitiaq; honorum plurima quam mulorum & equorum armenta tenere.

Non in hio magnis parbo me duco beatum.

Cum videru regmen votarepletq; mea.

Quapropter honoratissimas & lautissimas vocatiões recusans, à professione, provinciâ quietâ & ad finem ad quem tendebat, apprimè aptâ nec prece nec precioso sese avocari passus est: adeo ut frustra omnè lapidem moverint celeberrimæ cujusdâ Reip. Legati, qui Ratisbonam ad Comitiam An. 1608. tendentes, slectendâ ipsi⁹ causa à via deflexerunt, & in ipsis comitiis presentē summo honore affecerant. Ut taceam consilia Academiae Juliae & Jenensis de ipso ad se pelliciendo. Taceam item amplissimorum honorum promissiones hinc inde vel Româ etiâ ipsi datas, si a viditate dignitatū & divitiarum à veritatis & recti tramite abduci potuisset. Qui affectus; erga Academiam Noricam & Remp. literariam cum in clytum Senatū minimè lateret, singularè etiam de valetudine ipsius is curam habuit. Nam cum Anno 1598. febr̄i quotidianâ mali-

nihil inveniit reliqui. Nocte verò priore precationibus & lectionibus liberorum consuecis suspiriis quam devotissimè Deo oblatis, manè intra horam quintam & sextam placidissimè, & ne illis quidem, qui à latere ipsi dormiebant, animadvertentibus, diè suum cheu! obiit, feria III. Pentecostes, qui erat dies 25. Mal. Anno ætatis LIII. minus IV. mensibus, Anno Chr 1613. an professionis 22. relicta in mœrore & sui desiderio summo viduâ & è priori matrimonio filiis trib. & filiabus duabus. Sepultus est in cœmeterio ad latus avunculi & præceptoris sui M. Matth. Bergii. Ethices quondam in Acad. Norica Professoris: Quorû animæ sint cū *Ὁλοζία ἡσὶ εἰρήνη ἐὰς εἰς ἡμέραν τῆς ἀναστάσεως νεκρῶν. Amen.* Scripsi Alorf XV. Augusti, Anno M. DC. XXII.

*Placuit subijcere Programma Rectoris Acad.
Norimb. Michaelis Piscarti Fr.*

SENATUI ET CIVIBUS ACADEMICIS, S.P.D.

ET verò hoc erat complementum Academia calamitatis, quo veluti Magistratus mei animum clauderem & obsignarem, uti rursum funestissimo nuncio aures vestras consauciarem, quo significandum est, Cunradum Rittershusium ICium Consultarium & Antecessorem Noricum, Academia nostra columnam & Publicam Fama Tympanum nobis morte ipsi quidem maturam, sed pro dolor! Academia nostre per acerba ereptum esse. Quod quidem dum vobis significo & declaro, testor supremum numen & hujus infallibile oculus, animo & corpore deficio, calamusq; cum dextra obstrupsit. Novimus & perspicue quidem omnes nominamus, qui Vir, cum quibus viri nobis, cum qua doctrinam Rittershusius noster fuerit, quem nemo ignorabat, nisi qui literas earumq; æstimationem. Cujus virtutes & in omni
disci-

disciplinarū genereraram & admirabilem doctrinā totius
Orbis predicare nunquā satis potuit. Desinauerant hunc
virū fata huic Academiā, quam a celebratissimi nominis
Citis publico cōmendari semper volebant. Itaq; ne illustris
illa series Freigiorum, Donellorum, Gifaniorū, We-
sebecciorum intercideret, cum Nobiliss. & Ampliss. Cito
Scipiōe Gentili Magnū hunc Rittershusū huc pellexere,
ut cum ab illorum ore Doctissimi iuvenes pependissent, illis
fato postea functis suo Clarissimi viri succederent. Quam
Spartam, ut omnibus officiis conjunctissimi vixerunt, ita
summā dignitate summāq; virtute in hunc usq; diem cum
Ampliss. uero Andrea Dinnero, virtutis & dignita-
tis sua Collegā meruitissimo tenere. Ac Rittershusius qui-
dem noster cum a teneris sibi proposuisset id quod de Chry-
santho Eunapio olim: "Αἰσῶν ὁ ἄνθρωπος κινδυνεύει ἔλθαι εἰς
τοῦτο, totusq; in animi cultura versaretur, quantum futu-
rus esset ostendit in Oppiano, quem adolescens recensuit, la-
tine loqui iussit & cōmentario notisq; illustravit, de quibus
ita censuit miraculum seculi nostri Scaliger, nec doctius
quicquam nec melius fingi scribere potuisse. Quae vir opera
publico dederit, notius est, quam ut a me dici debeat: Lo-
quantur S. literarū mystica & omnes divinæ sapientiæ periti,
fatebuntur cum summis hunc certare Theologis doctrinā
potuisse, asseruit hoc certe, ut meis oculis legere memini No-
bilissimus gentis suae & in sacris versatissimus Heros Phi-
lippus Mornaeus Plessiaci Dominus: Loquantur Legum
& Juris, nō dico Studiosi, sed Doctores, & fatebuntur plu-
rimū se laborib; huius, quem amisimus, profecisse & indies
proficere. Laborib; dico Viri: tales quippe vere erant. Neq;
enim cessare poterat immortalitatis ista cupida mens publi-
ciq; commodi studiosa. Noctes diebus continuabat, vix quo
reficeret cibo potuū corpus spaciū dabat, quae res & va-
lectu-

betudini plurimum obfuit. & obitum fortassis acceleravit.
Monitum certe scimus ab amicis, parceret sibi, proficeret
rectius suis, posteritati quoque serviret, cuius interesset vel
maxime perennare ipsū. Sed hac sardo accinebantur. Con-
tendebat ille tanquam in stadio ad metā currendo, neminem
respicens, sed omnes ante vertens. Accedebat ad summans
hanc & stupendam eruditionē par, aut etiam superior, major
humilitas & in omnes studiū ac comitas, cumque omnes quā
summi quā infimi venerarentur illū, ut caelo missum in hac
effeeta mundi senecta virtutis ac doctrina Numen, ita res-
pōdebat omnib. amore & officio, ut pulcherrimū an. φ. idios
certamen certaret, nec raro vinceret. Loquatur hoc litera-
rum, sive epistolarū officium, quod ille tam sanctē coluit, ut
piculo haberet vel infimo provocatori non, ut sic loquar, ad
momentū respondere. Cumque multos ex locis exteris virtus
hominis evosasset, & ad videndum hoc Palladium numen
cōpulset, ita hospites ille excipiebat, & attonitos dubiosque
se dimitteret. plura doctrina laudis an humanitati referri-
berent, omnes certe praeclaras totā Europa animas, omnium
ingenia, omnium studia vestigalia habebat, & quod inusi-
tatum undecumque famā accipiebat, cū senore reddebat, ha-
bebatque in gloria vel notū esse Rittershusio. Atque his quidem
studis id cōsecutus est magnus ille literarū princeps animus
ut cum virtutē vulgo sequi soleat invidia atque obretractario,
vicerit ille utramque vel generosē perferendo, vel fortiter con-
temnendo, vel officis extinguēdo, vel equanimitate satian-
do. Verū dum ille totus animo vivit & ingenio, paullatim
domiciliū animi pro cōdutione sui, hoc est corpus Rutershusii
nostri attenuatur & emaciatur, lentaque tandem tabe cōsumi-
tur, vix animadvertente viro optimo, qui in omni vita erat
βελτιστην πρὸς ἐμφυλ. & καὶ περὶ παῖδων μεσιέων, donec ante hos
IV. menses morbus eum clinicum esse iussit & mori athen-
tis admonuit. Quo tempore, eum in omni vita pietatē pra
741.

reliquis hominis Christiani dotibus unice coleret, sui similis,
se & sua Deo Opt. Max. commendavit, de morbi eventu
parum aut nihil sollicitus. Quibus autem cogitationibus se
erexerit, apparet ex eleganti hoc disticho, quod omnib. Stu-
diosorum petentium libris lecto adfixus inscripsit, desum-
ptum ex Paulini Panegyrico in Celsum, :

Morror abi, discede pavor, fuge culpa: ruit mors,

Vita resurrexit, Christus ad astra vocat.

Vocavit certe Christus eum & sedib. beatarum mentium
adscripsit tandem die 25. hujus mensis, cum explevisset an-
nos LII. menses VIII. Nobis vero relictū est desiderium
amissi boni, & grata meritorum ejus in nos memoria, quo-
rum illud ut eternum erit, ita istam perpetuo reficabim, &
nulla unquam delebit illam in animis nostris dies aut obli-
terabit oblivio. Nunc hoc est officium nostrum, ut cum ille Spiri-
tum Deo reddiderit Creatori suo, nos corpus Terra matri
reddamus, quod fiet hodie circa horā I. pomeridianā, quod
scio, multo cupidius unumquemq³ facturū, luctumq³ suum
& lectissimā scēminē viduā moestissimā, quā cum eternā
sui nominis gloria & fidei in marium testimonio luculen-
tissimo, deinceps vivet, & heredibus tristissimis probatu-
rum, quā juberē ego possim. Academiam autem Domino
& Prudenti & Nobilissimorum Dd. Scholarcharum com-
mendemus, jacturam ea certe fecu virū incompara-
bilis, quod carendo fiet manifestus. B. V.

P. P. 27. Mal. An. 1613.

~~DEVI~~

IN SALVI-